

censent alii AA. Nam Scripturae et PP. non minus testantur, venisse propter omnia alia diluenda peccata. Putant tamen plures DD. incarnatum fuisse Verbum etiam nullo permissio peccato: quia propter alios fines, praeter peccatorum redemptionem, venit quoque Christus.

347. *Nota* II.<sup>o</sup> Duplex connexio potest considerari in decreto Incarnationis cum tali vel tali facto, aut fine; puta, adoptione filiorum, satisfactione pro peccatis, rerum conditione etc.: connexio formalis, et arguitiva. 1.<sup>a</sup> connexio est intrinseca, ideoque deficiente facto, vel fine, deficit decretum et quidquid pendet a decreto. Sic decretum mortis in Adamum pendeat a transgressione, et non fuisset mors nisi fuisset peccatum. 2.<sup>a</sup> connexio est moralis seu congruentiae. Ita passim Scriptura et PP. exempla divinatorum decretorum, seu iudiciorum, nobis proponunt, ea de causa, ut prudenter existimemus quid nobiscum facturus sit Deus: sic hortatur nos Paulus (1).

348. Prob. thesis 1.<sup>o</sup> Apostolus ait (2): *Omnia in ipso* (Christo) *constant... ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Atqui nec in Christo omnia constarent, neque in omnibus primatum haberet, si, eo praetermisso, creationem ceterarum rerum Deus decrevisset: ergo.

2.<sup>o</sup> Athanasius (3): «Jure merito Verbum in nostram veniens carnem, in eaque principium viarum in opera sua creatum (4), hac ratione. ut erat in ipso Patris voluntas, fundatur ante aevum, ne vetustate conficeremur... Sic enim vitam minime fluxam licebit consequi, constanterque in Christo vivemus... Ac quemadmodum si quis sapiens architectus domum statueret aedificare, simulque in animo haberet eandem, si forte postea destruat, reficere: ille utique prius praepararet necessaria; itaque fieret ante domum ipsam ejus instaurationis praeparatio. Haud aliter nostrae salutis renovatio in Christo ante nos fundata est, ut in ipso quoque refici possemus. Quapropter consilium et propositum ante aevum paratum est: tunc autem effectum opus est. cum exegit necessitas et Salvator advenit. Nam ipse Dominus instar omnium nobis in coelis erit, cum nos in aeternam vitam admittet.» Vide etiam Cyrillum, supra (Thes. XLVII).

349. 3.<sup>o</sup> In universo rerum ordine Christus primum locum tenet (supra Thes. LXXIV); et finis primarius Dei, scil., suae bonitatis communicatio, et gloria ipsius extrinseca, maxime, imo infinite, in Christo completur. Atqui minus rationem decet, quod dica-

(1) Hebr. II, 3.—(2) Colos. I, 17.—(3) Orat. 2, contra Arian. n. 76.—(4) Prov. VIII, 22.

mus, id Deum in prima rerum intentione praetermisisse, quod in iisdem maxime vult et amat: ergo voluit Incarnationem, etc.

350. Obj. Misit Deus Filium suum ut nos redimeret. Sed redemptio supponit peccatum, et ordinem naturalem ac supernaturalem in quo fuerat homo constitutus: ergo in prima rerum intentione noluit Deus Incarnationem.

Resp. Dist *maj.* Intentione primaria et absoluta; nego: secundaria et conditionata; conc.

#### THESIS LXXXI.

Deus voluit Incarnationem et omnes res creatas primario propter Jesum Christum.

351. *Nota.* Deum propter homines mundum hunc condidisse, Incarnationem autem propter nostram salutem, ut supra diximus, nec non propter fines alios, decrevisse, supponimus: Christum autem principalem omnium rerum extitisse in mente divina finem, hic defendimus.

1.<sup>o</sup> Apostolus ait (1). *Ipsa est ante omnes, et omnia in ipso constant... Ut sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit totam plenitudinem inhabitare.* Jam vero, finis est prima causa a qua pendet, et in qua nituntur ea quae ab agente procedunt. Si ergo Christus in omnibus primatum tenet, est omnium rerum primarius finis; si omnia in ipso constant, est finis cujuslibet alius creaturarum finis.

352. 2.<sup>o</sup> Christus est causa finalis justificationis hominum, ut docet Tridentinum (2); et praedestinationis, juxta Paulum (3). Sed alia dona naturalia ordinantur ut media ad finem supernaturalem: ergo Christus est finis primarius et rerum naturalium et supernaturalium. Inde intelligi possunt Apostoli verba: *Omnia vestra sunt, sive Paulus sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei.*

3.<sup>o</sup> Deus constituit Christum *ad dexteram suam in coelestibus... super omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro*, ut dicit Apostolus (4): ergo inter res omnes creatas nulla est finalis causa quae Christo, ut primario fini, non subjiciatur: primum enim simpliciter locum, inter omnia creata, Christum habere Apostoli verba significant.

(1) Colos. I, 17.—(2) Sess. VI, c. 7.—(3) Rom. VIII, 29.—(4) Ephes I, 20, 21.



4.º Denique, tunc res ultimo complentur cum suum assequuntur finem, ut est manifestum. Atqui in mysterio Incarnationis est rerum omnium complementum, ut testatur S. Hippolitus: «Totum nostrum redemit genus; intellectualium substantiarum» coeli ordines ad immutabilitatem stabilivit; omnium rerum in eum consummatio est: τῶν ὅλων ἐστὶν εἰς αὐτοῦ ἀνακεφαλαίωσις. (De Theol. et Incarnat. Serm. 2).

THESIS LXXXII.

Si homo non peccasset, Verbum fuisset vi praesentis decreti incarnatum.

353. Prob. 1.º Si homo non peccasset, non ideo defecissent ea omnia quae a peccato non pendent; puta, existentia hominis, gratia, Angeli, mundus etc. Ergo neque defecisset Christus, propter quem omnia facta sunt vi praesentis decreti.

2.º Si, homine non peccante, nequiret esse Incarnatio vi praesentis decreti, Deus decrevisset Christum voluntate connexa cum peccato hominis: sed hoc dici nequit: ergo. *Min.* prob. Valuntas Dei non potest connecti cum peccato hominis nisi permissive, seu hypothetice. Sed Deus decrevit Christum voluntate absoluta: ergo dici nequit decrevisse Deum Incarnationem, voluntate cum peccato hominis connexa. *Major* est aperta. *Min.* patet ex Thes. praeced. Repugnat enim finem universalem rerum esse conditionatum.

354. Obj. Uno ac simplici decreto Deus universum rerum ordinem cum Christo decrevit: sed si homo non peccasset, non extitisset praesens rerum ordo: ergo neque fuisset praesens decretum, neque vi illius Verbum foret incarnatum.

Resp. Dist. *min.* Non extitisset praesens rerum ordo, quoad ea quae absolute Deus decrevit, nego. Quoad illa quae voluit permissive, seu hypothetice; conc. Deinde dist. *conseq.* Non fuisset praesens decretum, ut absolutum, nego. Ut hypotheticum, seu permissivum; subd. Ut permissivum in actu primo; nego. Ut permissivum in actu secundo, conc.

Inst. Ergo non est unum et simplex Dei decretum. Resp. Dist. *conseq.* Non est simplex absolute, seu quoad finem; nego. Conditionate seu quoad modum assequendi finem; conc. Deus enim fuisset finem absolutum, licet homo non peccasset, assequutus.

THESIS LXXXIII.

Vi praesentis formalis decreti Incarnationis non fuisset eadem facta, si Deus peccatum impedivisset.

355. 1.º Deus uno et simplici decreto absoluto universum rerum ordinem cum Christo decrevit. Atqui impediendo Deo peccata, non extitisset praesens rerum ordo: ergo neque fuisset praesens decretum, neque vi illius potuisset esse Incarnatio. *Maj.* supponitur ex tract. *de Deo* (1); patet ex Thesi LXXX et LXXXI, et breviter probatur. Decernendo Incarnationem, ea ratione Deus decernebat quatenus est talis participatio divinae bonitatis, non solum substantialiter, sed etiam in scientia, in amore, in potestate et meritis. Sed scientia, amor, potestas et merita Christi connexionem habebant cum universo rerum absolute decreto ordine: ergo Deus uno et simplici... *Maj.* patet: quia propter unionem hypostaticam Christo necessario debebatur plenissima scientia, perfectissimus amor, et plena potentia ac primatus in omnia. *Min.* constat ex dictis in praecedentibus (2).

356. 2.º Credendum est eo modo Deum decrevisse Incarnationem, qui divinorum attributorum manifestationi et Christi gloriae magis congruebat. Sed si homo non peccasset, Deo impediendo ruinam, non ita elucerent divina attributa et Christi gloria in Redemptoris et mediatoris munere. Ergo non fuisset Incarnatio vi praesentis decreti, si Deus impedivisset peccatum.

Obj. Videtur ergo quod propter Incarnationem voluit Deus esse peccatum. Sed hoc est absurdum. Resp. Nego *major*. Non enim voluit, sed permisit, seu non impedivit peccatum ob Incarnationem. Permittit enim mala, ait Augustinus, ut majora educat bona.

THESIS LXXXIV.

Si decretum Dei non fuisset peccati permissivum, arguivimus dicimus factam tum etiam Incarnationem fuisse (3).

357. Prob. Praeter finem redemptionis, quam voluit Deus in hypothese peccati futuri, propter alios plures fines voluit Deus absolute Incarnationem; nempe, propter ipsum Christum, divinam gloriam, communicationem sui, adoptionem filiorum, omnium rerum fundamentum, etc. ut supra diximus (4). Sed permanentibus pluribus gravissimisque Incarnationis causis absolutis, etiamsi una deficiat conditionalis, arguere debemus illam extitutam. Ergo. *Min.* prob. «Quidquid vera ratione connaturalius occurrit, hoc scias» fecisse Deum bonorum omnium Conditorum; ait Augustinus (5). Sed permanere effectum dum sufficientissimae ac abso-

(1) De Deo Creatore, n. 152, 154, 159, Disq. VI. — (2) Thes. LV, LXXXIII, LXXXIV, LXXXV, LXXXVI. — (3) V. supra, n. 338. — (4) Thes. XLVII, XLVIII. — (5) De Liber. arbitr. l. 3, c. 5.



lutae ejusdem causae existunt, est secundum veram rationem conaturalius: ergo permanentibus pluribus...

358. Obj. 1.<sup>o</sup> Nazianz. Greg. (1) ait: «Quae autem humanitatis a Deo propter nos susceptae causa extitit? Profecto ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causae afferri potest?»

Resp. 1.<sup>o</sup> cum D. Thoma (2): «Ad ea quae in contrarium obijciuntur responderi potest, secundum aliam opinionem, quod auctoritates illae loquantur de adventu in carne passibili; non de adventu in carne impassibili.»

Resp. 2.<sup>o</sup> Non fuit alia causa necessaria; conc. Sufficiens; nego. Ut enim supra diximus, posito quod Deus justam satisfactionem ab hominibus exigeret, necessaria erat Incarnatio: istud causae genus respicientes aliqui PP. dixerunt, solum nostram salutem Incarnationis causam fuisse.

Obj. 2.<sup>o</sup> Augustinus dicit (3): «Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.»

Resp. Dist. seu explico: non venisset quia, in praesenti providentia, decretum Adventus Christi habet connexionem cum permissione peccati; conc. Quia ostendat praesens providentia quod, homine non peccante, Christus secundum aliam non venisset providentiam: nego.

(1) Or. 30, 2.—(2) 3, dist. 1, q. 1.—(3) Serm. 8, *de Verb. Apost.*

A. M. D. G.

## APPENDIX.

Saepe S. Cyrilli Anathematismos in ultima laudavimus Disquisitione; quare eos subjicimus, cum lumen in pluribus quaestionibus perfundant.

### ANATHEMATISMI CYRILLI.

**Nota.** Anathematismos istos Synodus III. suscepit, IV. in acta retulit, et V. defendit.

*Can. 1.* Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genetricem sanctam virginem: peperit enim secundum carnem carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est: Verbum caro factum est; anathema sit.

*Can. 2.* Si quis non confitetur, carni secundum substantiam (1) unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul et hominem, anathema sit.

*Can. 3.* Si quis in uno Christo dividit substantias post unitiorem, sola eas connexionem conjungens, quae secundum dignitatem fit, vel etiam auctoritatem et potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.

*Can. 4.* Si quis in personis duabus vel subsistentiis eas voces, quae in Apostolicis scriptis continentur et Evangelicis, dividit, vel quae de Christo dicuntur a sanctis, vel ab ipso, et aliquas quidem ex his velut homini, qui praeter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tanquam dignas Deo soli Dei Patris Verbo deputaverit, anathema sit.

*Can. 5.* Si quis audeat dicere, hominem Christum Theophorum, id est Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam filium per naturam secundum quod Verbum factum est caro, et communicavit similiter ut nos carni et sanguini, anathema sit.

*Can. 6.* Si quis dicit, Deum esse vel Dominum Christi, Dei Patris

(1) Versio antiqua hic can. 2, 3, vocem *ὁπὸστασις* per *substantiam* reddidit; idem habetur Syn. V, can. 13. Retinuimus, quod et Petavius l. 6, de Incarn. c. 17, ad anath. 2. Cyrilli tuetur. Unio hypostatica substantialis vel essentialis dicitur in quantum istae voces Nestorianorum accidentali unioni opponuntur. Est sane unio ista substantiarum, sed per subsistentiam.



Verbum, et non magis eundem ipsum confitetur Deum simul et hominem, propterea quod Verbum caro factum est, secundum Scripturas, anathema sit.

*Can. 7.* Si quis velut hominem Jesum operante Deo Verbo dicit adjutum, et unigeniti gloriam tanquam alteri praeter ipsum existenti tribuit, anathema sit.

*Can. 8.* Si quis audeat dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum, tanquam alterum cum altero (nam cum syllaba superadjuncta haec cogit intelligi) ac non potius una supplicatione veneratur Emanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.

*Can. 9.* Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tanquam qui aliena virtute per eum usus fuerit et ab eo acceperit efficaciam contra immundus spiritus, posse et coram hominibus divina signa perficere, ac non potius fatetur ejus proprium Spiritum, per quem divina signa explevit, anathema sit.

*Can. 10.* Pontificem et Apostolum confessionis nostrae factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est et homo juxta nos homines, sed velut alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis, (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit), anathema sit.

*Can. 11.* Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis, A. S.

*Can. 12.* Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est et vivificator ut Deus, A. S.

## INDEX ALPHABETICUS

Numerus romanus indicat Disquisitionem; arabicus, paragraphum; aliquando pagina citatur.

### A

- Actio*; VI, 80. 130. Actio ad extra est communis: VII, 148. Actio creativa; VI, 18, 19. Actus purus, 11.  
*Adventus* Christi primus; VII, 68: Secundus in gloria; 310: Signa adventus; 320.  
*Aeternitas* quid sit: IV, 64; Dei, ibid. Rerum creatarum; VI, 24, 27, etc.  
*Amor*; IV, 250. Amor amicitiae; 251. Amor concupiscentiae, 251. *Amor* Dei necessarius; IV, 215. Liber; 233. Amor Spiritus Sanctus; V, 247.  
*Angelorum* Caput Christus; VII, 295: pro ipsis meruit; 293.  
*Anima* rationalis erat in Christo; VII, 85: simul creata et assumpta; 107.  
*Antichristi* notae; VII, 325: per hypocrisim prosperabitur, 329: per falsos prophetas et aliam bestiam agno similem; 330: reges eum adjuvabunt; 331: illum ejusque imperium Christus delet; 310.  
*Appetitus* sensilis Christi subdebatur rationi; VII, 197.  
*Assumptio* humanitatis a solo Verbo facta; VII, 150.  
*Assumptio* et unio in quo differunt; 152.  
*Attributorum* divinatorum distinctio; IV, 142.

### B

- Baronii* improbatur opinio; V, 68, (pag. 160.)  
*Beatitudo* creaturae; VI, 45, 48.  
*Bonitas* ipsa est Deus; IV, 39: et ultimus finis creaturarum; VI, 45: summus finis cui Creatoris et entium rationalium; 47, 48. Bonum quid est; 56: bonum honestum; 58: morale; 58.